

**2. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, definitive decree of the College *coram* Kasyna, *Reductionis in usum profanum ecclesiae X*, prot. n. 46790/12 CA, June 17, 2014.**

---

**Prot. N. 46790/12 CA**

**N**

***Reductionis in usum profanum  
ecclesiae X***

**(D.nus Y et alii – Congregatio  
pro Clericis)**

**DECRETUM DEFINITIVUM**

**IN NOMINE DOMINI. AMEN.**

FRANCISCO PP. feliciter regnante, Pontificatus sui anno secundo, die XVII iunii MMXIV, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Raimundo Leone Card. Burke, *Praefecto*, Leonardo Card. Sandri et Aloisio Card. Martínez Sistach, atque Exc.mo ac Rev.mo D.no Richardo Kasyna, *Ponente*, intervenientibus Cl.mo Carolo Gullo et Cl.ma Alexia Gullo, utpote

respective Advocato-Procuratore et Advocata recurrentium, Cl.ma Martha Wegan, tamquam Patrona Congregationis pro Clericis et Em.mi Archiepiscopi, atque Rev.mo D.no Iosepho Punderson, Promotore Iustitiae deputato, in causa, de qua supra, hoc definitivum tulit decretum.

## I. FACTI SPECIES

1. Decreto diei 5 octobris 2004, Exc.mus – dein Em.mus – Archiepiscopus N decrevit suppressionem paroeciae personalis X pro W in regione v.d. *East N*, statuens fideles curam pastorem recipere posse apud paroecias territoriales in illa regione, bona et onera paroeciae suppressae, ecclesia paroeciali inclusa, obvenire ipsi Archidioecesi, atque libros paroeciales transferri ad paroeciam Z, quae videtur paroecia territorialis intra quam ecclesia X sita est. A die vero suppressionis, etsi Archiepiscopus accessum ecclesiae suspensum tenebat, quidam fideles eam cotidie etsi non continuo obsidebant. Die 17 martii 2005, d.na V, tamquam praeses coetus “X Survivors”, recursum interposuit apud

Congregationem pro Clericis, quae vero decreto diei 12 maii 2005 recursum reiecit ob terminos non servatos.

2. Postea ab anno 2010 Em.mus Archiepiscopus peritias circa ecclesiam X conficiendas curavit necnon relationem circa statum sive paroeciae suppressae sive paroeciae Z. Expetita quoque sunt et vota christifidelium olim ad paroeciam suppressam pertinentium, et votum Rev.di Parochi Z, qui, auditis consiliis pastoralibus et aliis, reductionem ecclesiae in usum profanum Em.mo Archiepiscopo commendavit. Quae omnia Em.mus Archiepiscopus cum membris consilii presbyteralis communicavit, quae in sessione die 19 maii 2011 habita, re exposita et discussa, votum pro reductione ecclesiae expresserunt. Qua investigatione et consultatione expleta, die 14 iulii 2011, Em.mus Archiepiscopus reductionem ecclesiae X in usum profanum non sordidum decrevit.

3. Remonstratione frustra facta, d.ni Y, B et C die 29 augusti 2011 recursum hierarchicum interposuerunt coram Congregatione pro Clericis, quae, exhibito memoriali pro recurrentibus una cum ulterioribus documentis et audito Em.mo Archiepiscopo, qui pariter animadversiones documentaque exhibuit, tandem aliquando die 23 martii 2012 recursum reiecit tamquam fundamento in facto et in iure carentem. Quo decreto notificato, Em.mus Archiepiscopus ulteriorem introitum in ecclesia fidelibus denegandum curavit.

4. Quam adversus decisionem Congregationis, Y, B et C instantia diei 18 maii 2012 provocaverunt ad H.S.T. Re dein rite discussa inter Cl.mos partium Patronos et Rev.mum Promotorem Iustitiae deputatum, in Congressu diei 28 maii 2013 H.S.T. recursum ad disceptationem coram Collegio Em.morum et Exc.morum H.S.T. Iudicium non admisit, utpote manifeste carentem fundamento. Non deferbuerunt autem partes recurrentes, qui die 19 iunii 2013 recurrerunt ad H.S.T. Collegium Iudicans. Recursu rite notificato Cl.mae

Patronae partis resistentis, quae proprium scriptum exhibuit, Rev.mus Promotor Iustitiae deputatus tandem votum pro rei veritate confecit.

Sessione vero in diem 17 iunii 2014 indicta atque Em.morum atque Exc.morum Iudicum nominibus cum partibus communicatis, die 30 maii 2014 Cl.mus recurrentium Patronus, una cum eorum Cl.ma Advocata, quoddam “Memoriali Addendum” apud H.S.T. deposuit. Attamen, visis artt. 84 et 42 *Legis propriae*, et attenta praxi constanti H.S.T., suo tempore confirmata in Decr. def. H.S.T. diei 20 aprilis 1991, prot. n. 20012/88 CA (cf. praesertim n. 9), dictum addendum considerari non potest.

Pridie tandem sessionis Collegii habendae, die nempe 16 iunii

6. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, definitive decree of the Collegium c. Gantin, *Quebecensis*, *Suppressionis consociationis*, prot. n. 20012/88 CA, April 20, 1991: in *Ministerium Iustitiae*, 1:617–637.

2014, Em.mus H.S.T. Praefectus certior factus est de impedimento cuiusdam Em.mi Iudicis infirmitatis causa. Ne causae conclusio procrastinaretur, a Ss.mo impetrata est facultas in casu per Collegium quattuor Iudicibus constans iudicandi (cf. litterae Exc.mi Substituti pro generalibus negotiis Secretariae Status diei 16 iunii 2014).

Quibus praehabitis, nunc Nostro Collegio huic dubio respondendum est: **An decretum ab Em.mo H.S.T. Praefecto die 28 maii 2013 in Congressu latum, reformandum sit, necne.**

## II. IN IURE ET IN FACTO

5. Obiectum recursus coram hoc Supremo Tribunali est asserta illegitimitas decreti Congregationis pro Clericis diei 23 martii 2012 (cf. art. 34, § 1 *Legis propriae*), quo Dicasterium reiecit recursum die 29 augusti 2011 interpositum adversus decretum diei 14 iulii 2011, quo Em.mus Archiepiscopus N ecclesiam X in usum profanum non sordidum reduxerat. Recursus ad Colle-

gium diei 19 iunii 2013 revera nullum verum argumentum adduxit quod non iam adductum erat in scripturis Congressui H.S.T. diei 28 maii 2013 exhibitis. Remittendum ergo est imprimis ad ea quae H.S.T. decrevit in praefato Congressu, atque breviter tantum agendum est de quatuor argumentis coram Nostro Collegio denuo propositis.

6. Ad normam can. 1222, § 2, “ubi aliae graves causae suadeant ut aliqua ecclesia ad divinum cultum amplius non adhibeatur, eam Episcopus dioecesanus, audito consilio presbyterali, in usum profanum non sordidum redigere potest, de consensu eorum qui iura in eadem sibi legitime vindicent, et dummodo animarum bonum nullum inde detrimentum capiat”.

### **De assertis violationibus legis in procedendo**

7. Asseritur legem violatam esse in procedendo ob defectum consensus eorum qui iura in ecclesia sibi legitime vindicant, vel saltem ob omissam audicionem, de qua in can. 50, iuxta

quem “antequam decretum singulare ferat, auctoritas necessariae notitias et probationes exquirat, atque, quantum fieri potest, eos audiat quorum iura laedi possint”.

In recursu ad Collegium, recurrentes iura spiritualia sibi vindicant, sed non indicant de quibus iuribus agatur in casu; praeterea secundum iurisprudentiam probatam H.S.T. huiusmodi iura spiritualia generalia cum quadam ecclesia paroeciali vel aede sacra haud ligata sunt.

Recurrentes etiam iterum agunt de assertis iuribus in ecclesia exortis ex donationibus factis. Iura autem de quibus in can. 1222, § 2, “sunt praesertim iura patrimonialia vel eis assimilata, quae magna ex parte e fundatione vel aedificatione ecclesiae exsurgunt” (cfr. Decr. def. H.S.T. diei 21 novembris 1987, prot. n. 17447/85 CA), quae vero non praesumenda sed probanda sunt. Attamen donationes ad ecclesiam erigendam, servandam et ornandam factae, etiam ex parte pauperum, quae omnino laudabiles sunt et in memoriam



omnium fidelium grato animo revocandae, minime iura de quibus pariunt.

Quoad requisita can. 50, quidquid est de assertis iuribus olim paroecianorum X, constat Em.mum Archiepiscopum eorum opinionem exquisivisse.

8. Recurrentes adhuc insistent legem violatam esse in procedendo sive ob omissam auditionem consilii presbyteralis ante assertam clausuram definitivam ecclesiae ab anno 2004 sive ob assertam auditionem illegitimam seu vacuum consilii presbyteralis die 19 maii 2011 factam circa decisionem definitivam iam anno 2004 latam. Sed ex actis constat Em.mum Archiepiscopum necessarias notitias collendas curavisse atque dein votum informatum et ponderatum e membris consilii presbyteralis exquisivisse, ad normam can. 1222, § 2, antequam decisionem definitivam die 14 iulii 2011 tulerit, ita ut haud agatur de mera approbatione pro forma decisionis definitivae iam anno 2004 latae.

## De assertis violationibus legis in decernendo

9. Recurrentes denuo asserunt legem violatam esse in decernendo ob defectum causae gravis, de qua in can. 1222, § 2, attentis circumstantiis sive ecclesiae X sive Archidioecesis N.

Iuxta iurisprudentiam H.S.T., ample expositam in decreto Congressus diei 28 maii 2013, gravitas causarum fundamentum obiectivum habere debet, sed ipsa gravitas aestimanda est attentis tam circumstantiis concretis in casu habitis quam ipsa indole sacrae ecclesiae tamquam domus Dei. Insuper, ad rem non sufficiunt rationes generales vel ad hoc negotium non attinentes:

- "... norma canonica relate ad aedem sacram observanda exigit ut iudicium Episcopi de ecclesia ad usum profanum redigenda fundamento obiectivo, scilicet causa gravi, innitatur. Hoc in casu, distinguendae sunt causa ad paroeciam supprimendam et causa ad ecclesiam ad usum profanum redigendam. [...] Penuria sacerdotum esse potest causa ad

paroeciam supprimendam, sed minime ad ecclesiam ad usum profanum redigendam” (Sent. H.S.T. diei 21 maii 2011, Loiden., prot. n. 42278/09 CA);

- “Sufficere praeterea nequeunt rationes motivae characteris generalis uti v.gr. reductio numeri sacerdotum, numerus elevatus aedificiorum sacrorum. Necessarium est in singulis casibus probare reapse haberi causas graves. [...] Necessarium autem [est] diligenter distinguere inter processum reordinationis paroeciarum et determinationem quoad statutum canonicum aedificii sacri” (Sent. H.S.T. diei 21 maii 2011, Syracusen., prot. n. 41719/08 CA).

10. Quoad ecclesiam X in specie, quae iuxta recurrentes in bona condicione erat, certo ipsa vere fatiscens vel labans non apparebat. Sed Em.mus Archiepiscopus eius condicionem concretam perpendere debuit, ratione habita praesertim tam de aestimatione, a peritis facta, pecuniae necessarie impendendae nunc et in posterum pro conservatione, reparatione et reno-

8. *Vide supra* note 3.

9. *Vide supra* note 4.

vatione ecclesiae, attentis etiam pecuniis ad dictum finem recentioribus annis de facto impensis, quam de defectu aliorum fontium sufficientium. Ex actis enim constat quod expensae aestimatae pro conservatione, reparatione et renovatione ecclesiae, una cum eius adnexis, etiam demptis impensis quae forte ipsi Archidioecesi tribuendae sunt, v.g. ob defectum calefactionis et non-usum ecclesiae, non sunt leves.

11. Quoad Archidioecesim N, quae sola onus gerebat conservandi, reparandi et renovandi ecclesiam X, utique, uti insistunt Cl.mi Advocati recurrentium, non agebatur de absoluta impossibilitate dicti oneris sustinendi. Alia ex parte ex actis constat quod Archidioecesis, severis rationibus ad expensas reducendas iam adhibitis, adhuc in circumstantiis difficillimis versabatur, uti ipsi recurrentes coram Congressu admiserunt.

12. Congregatio pro Clericis, praedictis elementis obiectivis perpensis, iudicavit causam gravem de qua in can. 1222, § 2

reapse haberi in causa. Argumenta a recurrentibus iterum iterumque proposita impar sunt ad demonstrandum Congregationem in suo iudicio erravisse.

### III. CONCLUSIO

13. Omnibus in iure et in facto aeque rimatis, infrascripti Patres pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum esse decreverunt atque respondent:

**Decretum huius Supremi Tribunalis diei 28 maii 2013 confirmari seu recursum admittendum non esse ad disceptationem utpote manifeste carentem fundamento.**

Pro expensis processualibus cautio in arca H.S.T. deposita retineatur. Recurrentes suo Cl.mo Advocato-Procuratori suaeque Cl.mae Advocatae atque Auctoritas ecclesiastica suae Cl.mae Patronae congruum solvant honorarium.

Hoc definitivum decretum cum omnibus quorum interest

communicandum et executioni mandandum decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede  
Supremi Signaturae Apostolicae  
Tribunalis, die XVII iunii  
MMXIV.

Raimundus Leo Card. BURKE,  
*Praefectus*

Leonardus Card. SANDRI

Aloisius Card. MARTÍNEZ SISTACH

✠ Richardus KASYNA, *Ponente*

Et notificetur.

Die 14 iulii 2014

✠ Franciscus DANEELS, o.praem.  
*Secretarius*

Iosephus Ferdinandus  
MEJÍA YÁÑEZ, m.g.  
*Praepositus Cancellariae*